QVÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE MERCVRII XXIX. MAII,
M. PETRO SEGVYN MED. ET PROFESSORE REGIO MODERATORE.

591

Vtrùm hæmoptoicis adstringentia?

QVÆLIBET sanguinis, humorum in eodem fonte, ab eodemque calore genitorum vtilissimi, communis partium omnium alimenti, atque veri temporum saluberrimo respondentis profusio, vndecunque manet, cùm præter naturam sit, iure metuenda: sed omnis eiusdem non vitiosi modo, verùm etiam bonitate eximij vt purpurei per os anagoge siue hæmoptysis, quæ vel è ventriculo cum vomitu, vel è thorace aut pulmone cum tussi, aut etiam ab hepate per prædictas partes cietur, terrifica. CERNIS VT E MOLLI SANGVIS PVLMONE REMISSVS AD STYGIAS RECTO TRAMITE DVCIT AQVAS.

CÆTERA sanguinis profluuia sæpe lege criticâ sunt salutaria, vel etiam naturæ λόγῳ excitantur: sic hæmorrhagia epheborum propria est cum venerem agnoscere vocemque asperiorem edere incipiunt: sic menstruum siue hæmorrhagia hysterica virginibus viro maturis & mulieribus vacuis naturaliter insita & per lunæ periodos consueta sanguinem solâ copiâ redundantem purgandi necessitas, mirificos sanitatis fructus atque fœcunditatem solis menstrualibus adfert: sic dysenteria cruenta plethoricis & mutilis: sic denique hæmorrhoides melancholicis, fanaticis, nephriticis, adeóque hæmoptoicis salutares: sola sanguinis anaphora symptomatica est & terrifica.

CVM AVTEM omne symptoma morbi cuiuspiam sit consectarium, hæmoptysis excreti ametria (viris quàm mulieribus frequentior) caussas habet morbos vasorum è quibus sanguis effertur; Anastomosin quam sanguinis copia, feruor, motus & calidorum vsus inuehunt; diapedesin seu veriùs vasorum mollitiem & raritatem; atque diæresin quæ duplex est, rhexis a caussis tam internis vt plethora & flatuum copia, quàm externis ictu, clamore, ira, frigore; & Anabrosin ab acri humore prauâ diætâ collecto vel è capite demisso. Apertis vasorum osculis vel ruptis, sanguis multus & confertim erumpit, rarefactis, sensim sudoris instar transcolatur: erosis paucus & saniosus vel purulentus breuibus ex interuallis reijcitur, donec temporis progressu penitus exeso vase copiosus inter tussiendum erumpat.

RECTE THESSALVS ex contrariorum lege monebat vt retinendorum fluor adstringentibus prudenter sisteretur: itaque vberiùs & per iter deuium prorumpentem sanguinem ἴσχαιμα trium generum cohibebunt; auertentia, æquantia & reprimentia. Auertent crebra in cubito & malleolo phlebotomia, vel exhaustis fluxu viribus cucurbitulæ cruribus, inguinibus, hypochondrijs affigendæ, partium inferiorum frictiones, vincula, fotus; enemata, mensium & hæmorrhoidum prouocatio. Æquabunt & ad symmetriam reducent proba victus ratio ex incrassantibus & stypticis; veneris abstinentia, silentium, lenis respiratio, somnus, corporis atque animi tranquillitas, humoris superuacanei expurgatio roborando & adstringendo facta: hic syrupus rosarum pallidarum vetus, rhabarbarum, myrobalani, tamarindi pectoralibus admixta, potionis boli vel pilularum formulâ, iure & loco præscribentur.

DENIQVE sanguinis impetum reprimentatque vas apertum vel ruptum contrahent, glutinabunt, firmabunt, assumpta zulapia, eclegmata, opiatæ, pulueres, trochisci ex adstringentibus vt portulaca, plantagine, polygono, rosa, symphyto, bolo armena, corallio, hæmatite, gummi tragacanthæ & arabico, mastiche, cæteris id genus, quorum vim torpidam excitabunt & ad partem ægram deferent admixta quædam tenuium partium aromatica vt cinamomum & spica nardi; Admota thoraci epithemata ex oxycrato rosaceo, litus ex oxyrhodino nenupharino, ceratum santalinum, tandemque ex mastiche & carne cydoniorum emplastra. Sæpe in hæmoptysi post casum ex alto sanguis è vasis in corporis cauitatem effusus concrescit in grumos, quos oxycrato, mummia, pice nauali & hœdi leporisue coagulo dissoluere simulque sanguinis ore prorumpentis orgasmum reprimere & adstringere licebit.

Ergo hæmoptoicis Adstringentia.

38

Propugnabat NICOLAVS REGNIER Parisinus Anno R. S. H. M. DC. XIX.

